



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarum Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Vtrum paßiones sanctorum debeamus velle. E

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



*Vtrum placuerit viris bonis quod Christus pateretur & moreretur: placuit quidem intuitu nostræ redemptionis, sed non ipsius cruciatus.*

EX quo soluitur questio qua queri solet, vtrum viris sanctis placere debuerit quod Christus pateretur, vel occideretur. Debuit n. eis placere intuitu nostræ redemptionis, sed non intuitu ipsius cruciatus. Voluerunt ergo ac vehementer cupierunt Christum mori propter liberationem hominis & impletionem diuinæ voluntatis: sed nō voluerunt delectatione ipsius afflictionis. De eodem ergo lætabantur & tristabantur: sed ob aliud gaudebant, & propter aliud dolebant. Volebant ergo Christū mori pro hominis redemptione: & tamē de morte ipsius diuersis de causis corda eorum variè monebantur.

*Quomodo sentiendum sit de passionibus sanctorum, an velle, an nolle debeamus.*

SI vero queritur, vtrū eodē modo sentiendum sit de passionibus & martyriis sanctorum. Dicim⁹ aliquā esse differentiam inter passionem capitis & mēbrorum. Christi namq; passio causa est nostræ salutis, q̄ non est passio alicuius sancti. Nulli⁹ enim passione redempti sumus nisi Christi. profuerunt quidem non modo eis qui passi sunt, verum etiā aliis fidelibus ipsorum passiones, verū tamē nostra redēptio non sunt: hoc enim passio illius sola potuit qui Deus est & homo. Illius ergo passionem credentium piæ mentes voluerunt, & optauerunt fieri, sicut futurū credebāt: passiones vero sanctorum possum⁹ velle & nolle: vtrunq; bona voluntate, si rectos nobis proponam⁹ fines. Cui enim placuit Pauli passio eo fine, quia p̄miū eius per hoc auctum & paratum cernebat: bonam videtur habuisse voluntatē, q̄ voluntati eius cōgru-



gruebat, qui cupiebat dissolui & esse cum Christo. Qui autem voluit eum declinare passionem & effugere manus iniquorum compassione pietatis, & ille habuit bonam voluntatē. Vnde Aug. in Enchiridio. Bonæ apparebant voluntates piorum fidelium qui nolebant Apostolum Hierusalem pergere, ne ibi pateretur mala quæ Agabus propheta prædixerat: & tamen hoc illum Deus pati volebat pro annuncianda fide Christi exercens martyrem Christi: neque ipse bonam voluntatem suam implevit per Christianorum voluntates bonas, sed per Iudæorum malas: & ad eum potius pertinebant qui nolebāt quod volebat, quā illi per quos volentes factum est quod volebat: quia id ipsum mala voluntate fecerunt, quod Deus bona voluntate voluit. Ita & in passione Christi factum est: quod enim Deus voluit, hoc idem Iudæi & diabolus: sed illi mala voluntate, Deus vero bona voluntate, scilicet, ut Christus moreretur. Veruntamen illi actum voluerunt, quem Deus non voluit.

\* \*

FINIS LIBRI PRIMI.

S S RVBRI-